Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5735
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">

Tuis auctoritate vobis
precipio vt michi dicatis
veritatem Tunc ille obedien-
cia artatus cum verecundia
Respondit Cum prostratus coram
altari pro peccatis meis et vite
mee negligenciis attencius
orarem ipsa beata virgo michi
apparens benedixit quia
ordo noster super redeuntes
de matutinis consuevit super
me dicens hec verba Omni-
potens sempiterne deus mi-
serere huic famulo tuo
et quidquid ei in via sinistri
pervenerit visu vel auditu ma-
le rei aut ociosi sermonis
totum ineffabili pietate pro-
piciatus indulge per christum do-
minum nostrum Et per benedictionem
intellexi eam ibi esse presentem
Novicius Felix oracio per
quam tante virginis mere-
tur benedictio Monachus
Non solum orantes sed et
psallentes sua benedicti-
one consuevit consolari
Henricus Exemplum de illo
conversus in Heme-
rode sepius vt audi-
vi in sollempnitatibus glori-
osam virginem inter psalle-
tes videre consuevit Quadam noc-
te quadam ipso intuente
de choro monachorum veniens
dei filium ex se natum in bra-
chiis gestans chorum ingres-
sa est conversorum et more
Abbatis fratres excitando cir-
cuiens ante quosdam qui
in oracione vigiles erant et
devoti gradum fixit filium
eis ostendens ac benedicens
devocioni eorum congratulando
Tepidos autem et dormientes
celerius pertransiit nil con-
solacionis eis impendens
Singulos autem conversos in
illa circuicione visitatos
necnon et neglectos predictus
conversus diligenter notavit
singulos domino Hermanno
Priori tunc ibidem nomina-
tim exposuit Novicius
Valde attentos et devotos
in divino servicio ista
nos reddere debent ne tante
virginis benedictione et
gracia propter tepiditatem
et negligenciam privemur
Monachus Bene sentis
Tanta siquidem caritate
beata virgo sibi devote fa-
mulantes complectitur vt
non solum orantibus non solum
psallentibus sed etiam dormi-
entibus benedicat Exemplum
Nocte qualiter dormientes etc.
quadam cum Conversus